



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Theologia Scholastica Secundum Viam Et Doctrinam D. Thomæ Aquinatis, Doctoris Angelici

In Celebri Archiepiscopali Benedictina Universitate Salisburgensi, methodo
& norma ibidem usitata publicè tradita, & in IV. Tomos digesta ; Qvorvm
Primvs Tractat De Deo Vno Et Trino, Deq[ue] Creatura Angelica ...

Mezger, Paul

Augustæ Vindelicorum, 1695

§. I. Divisio voluntatis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73455](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73455)

nie debitum legale, & suo loco tractabitur, temperantia, quæ tendit ad passiones in ordine continentas, odium, quod pro objecto terminativo habet malum quæ tale: ira, quæ supponit tristitiam ex injuria illata acceptam: desiderium, quod fertur in bonum abiens, excluduntur à voluntate

DEI, ideòque si legimus in S. Scriptura, DEUM irasci ut psal. 59. *odisse omnes, qui operantur iniquitatem.* psal. 5. metaphoricè ista sunt accipienda, ratione nimirum alicujus effectus, qui apud homines ex odio vel ira solet procedere.

ARTICULUS III.

Quotuplex sit voluntas in DEO?

SUMMARI A.

1. Divisio voluntatis in DEO est materialis.
2. Alia voluntas absoluta & efficax, alia conditionata, & inefficax.
3. Quid sit voluntas antecedens & consequens?
4. Voluntatem antecedentem esse voluntatem beneplaciti ostendit auctoritas S. Scripturæ.
5. Probat preparatio mediæ sufficientiæ ad salutem.
6. Et universalis cura tam de singulis, quam omnibus hominibus.
7. Confirmat exemplum Judicis.
8. Voluntatem antecedens non inducit imperfectiorem.
9. Instantia de voluntate conditionata & metu.
10. Exponuntur varia auctoritates S. Scripturæ.
11. Divisio voluntatis in antecedentem & consequentem est adequata.
12. Aliquando voluntas antecedens & consequens conjunguntur.

§. I.

Divisio voluntatis.

1. Voluntatem divisio non ex aliqua intrinseca distinctione virtuali, quam in una linea non dari pridem dictum; sed ex objectorum materialium voluntatum diversitate, circa quæ Divina voluntas versatur, accipitur: & solet primò dividi voluntas DEI in voluntatem signi & beneplaciti ex S. D. a. 11. voluntas beneplaciti est propriè & formaliter voluntas, quia est actus Divinae voluntatis formaliter in DEO existens. Voluntatem verò signi non est propriè sed metaphoricè voluntas; quia non est ipse actus Divinae voluntatis, sed extrinsecum signum illius, quo modo testamentum dicitur voluntas testatoris. Ejusmodi signa S. D. a. 1. enumerat 5. tria respectu boni scilicet operationem, præceptum & consilium. duo respectu mali, scilicet prohibitionem & permissiorem, hoc verò comprehensa.

Præcipit, ac prohibet, permittit, consulit, implet,

Existis signis sola operatio est infallibile signum absolute & veræ voluntatis in DEO, ideòque semper incidit cum voluntate beneplaciti; quia est impossibile DEUM non velle, quod operatur, omnia enim, quæ voluit, fecit in celo & in terra.

2. Voluntatem beneplaciti ulterius dividitur in antecedentem & consequentem: sicut & in absolutam & conditionatam, efficacem & inefficacem.

R. P. Mezg. Theol. Schol. Tom. 1.

Voluntas absoluta & efficax est, quæ absolute & efficaciter decernit effectum; ideòque semper impletur, de qua etiam dicitur Ezech. 3. *non est, qui tuae voluntati possit resistere.* Voluntatem conditionatam & inefficacem est, quæ sub conditione vult aliquid effectum, ideòque non semper impletur, sed impletur, si poneretur conditio, v. g. si homines facerent, quod deberent.

Voluntas antecedens non ex eo dicitur, quòd sit quaedam generalis & indifferentis voluntas antecedens nostræ voluntatis determinationem (quo modo exponit Vasquez) sed quod per illam DEUS vult aliquid, prout secundum se & sua intrinseca, præcise circumstantiis, est aliquid bonum & conveniens. Voluntatem consequens est, non quæ DEUS vult post determinationem nostræ voluntatis, sed quæ DEUS vult aliquid in particulari, ut vestitum omnibus circumstantiis. Nam ut S. D. voluntas comparatur ad res, secundum quod in se ipsis sunt: in se ipsis autem sunt in particulari; unde simpliciter volumus aliquid, secundum quod volumus illud consideratis omnibus circumstantiis particularibus, quod est consequenter velle. Idcirco voluntas consequens semper est absoluta & efficax; voluntas verò antecedens, nisi conjungatur cum consequente, est inefficax. Nam ut ibidem S. D. patet, quòd, quidquid DEUS simpliciter vult, fit: licet illud, quod antecedenter vult, non fiat. his positus sit

§. II.

Voluntas antecedens est voluntas beneplaciti.

CONCLUSIO. Non solum voluntas consequens, sed etiam antecedens, est vera & sincera voluntas beneplaciti. Ita Thomistæ cum S. D. cit. a. 11.

Probat primò de variis Scripturis ut Ezech. 18. *nunquid voluntatis mee est mors impij, dicit Dominus DEUS, & non, ut convertatur à viis suis, & vivat?* c. 33. *vivo ego dicit Dominus: nolo mortem impij, sed ut convertatur impius à via sua, & vivat.* 2. Petri 3. *nolens aliquis perire, sed omnes ad penitentiam reverti.* potissimum verò ex illo 1. Tim. c. 2. *DEUS vult omnes homines salvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire.* idque confirmat Apostolus ex eo, quòd unus est mediator DEI & hominum Christus Jesus, qui dedit seipsum redemptorem pro omnibus. Ex quibus

U 2

Pro-